

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Friedrich Maximilian Mauriti

**Rector Et Concilium Academiae Fridericianae Buetzoviensis Sollemnia Pentecostes Pie Religioseqve
Celebranda Ciibus Indicunt Praemissa Particula Altera Commentationis De Inhabitatione Dei Et
Peculiariter Spiritus Sancti In Iis, Qui Christum Fide Ampectuntur**

[2]

Buetzovii: Typis Ioann. Gotth. Fritzii, [1775]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1833712528>

Band (Druck) Freier  Zugang 

Universität Bützow.

Pfingstprogramm. 1775.

Mkl h

3483

zdb ME
05. Aug. 1999

entschuldet

Mull. h.

3483

RECTOR ET CONCILIO
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
BUETZOVIENSIS

SOLLEMNIA

PENTECOSTES

PIE RELIGIOSEQVE CELEBRANDA

CIVIBUS INDICUNT

PRAEMISSA PARTICULA ALTERA
COMMENTATIONIS

DE

INHABITATIONE DEI ET PECULIARITER
SPIRITUS SANCTI IN IIS QUI CHRISTUM
FIDE AMPLECTUNTUR.



B U E T Z O V I I
TYPIS IOANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. DVC. AVL.
ET ACADEM. TYPOGR.

1775

LECTOR ET CONCILIV
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
BUNDESVLENSIS
SOPLEMENSIS
PENTECOSTES
IN RECOLLEGIE CEREMONIA
CENSUS INDIANUS
PRAEMISSA TRADICIA ALITER
COMMUNICATIO
Dicitur Deo
Deo dicitur
IN COMMUNIONE PLENARIA
CONSTITUTIO
PENTECOSTES
IN RECOLLEGIE CEREMONIA
CENSUS INDIANUS
PRAEMISSA TRADICIA ALITER
COMMUNICATIO
Dicitur Deo
Deo dicitur



Quum Vobis, Cives Carissimi, anno
cōccclxxi. festum Pentecostes reli-
giose celebrandum indiceremus, pro-
posuimus Vobis tanquam materiam
cogitationum sanctorum grauisimam
illam aeque ac dulcissimam doctri-
nam de inhabitatione DEI & peculiariter Spiritus S.
in iis, qui Christum fide amplectuntur. Ut hoc sum-
mum beneficium, quod DEVS in nos omnes conferre
serio cupid, recte aestimare disceretis, eiusque prae-
stantia & felicitate perspecta quantocius participes illi-
us fieri omni studio contenderetis, id agendum nobis
iudicauimus, vt istius inhabitationis diuinae notione,
quam sibi ecclesia nostra ex s. litteris informauit, Vos
imbueremus, veramque eius formam & indolem de-
scriberemus.

a 2

Quod

Quod eo magis necessarium duximus, quod non solum coetus quidam Christianorum a nostra ecclesia segregati etiam in hac doctrina a nobis discedunt, atque aut in excessu, ut Fanatici & Enthusiastae, aut in defectu notionis formatae, ut Pelagiani, peccare censendi sunt: sed etiam doctores quidam recentiores in ipsa nostra ecclesia, qui huius sententiam quoad hanc doctrinam sequi aut sibi videntur, aut aliis videri cupiunt, tamen eam inhabitacionis diuinae notionem sibi finixerunt, quae a Pelagianorum opinione nihil discrepat, eandemque pro vera ecclesiae nostrae doctrina venditarrunt, istam vero sententiam, quam tamen vere amplexa est nostra ecclesia, tanquam enthusiasticam exagitарunt.

Requirebat igitur consilii nostri ratio, ut ante omnia e libris nostris symbolicis plurimas sententias ad hanc doctrinam spectantes congereremus, eos in classes quasdam distribueremus, ex iisque spectandum praeberemus, quantum distet nostra de hoc religionis capite doctrina hinc a Fanaticorum illinc a Pelagianorum opinionibus. Haec disquisitio occupatos nos tenuit in toto isto Programmate ante hoc quadriennium publicato, neque ulterius progredi limites illius finebant.

Jam, quum, quod isto tempore coepimus, hac opportunitate nobis oblata prosequi volumus, idque Vobis fructuosum fore speramus: ante omnia ostendendum est, quid nobis propositum sit, quo spectet omnis nostra disputatio, ne forte plura requiratis,
quam



quam quae consilium nostrum postulat. Nolite igitur
a nobis expectare diffusam omnium & singularum par-
tium huius doctrinae explicationem; sed, quoniam id
nunc praecipue spectamus, ut mentes Vestras contra
erroris periculum hoc infesto, in quod incidimus,
tempore quasi praemuniamus: haec *duo* duntaxat com-
mentatione nostra tractanda existimauimus. *Primum*
de *forma*, quam dicunt, inhabitacionis DEI in iis, qui
ad Christum salutem suam referunt, veram ecclesiae
nostrae doctrinam in libris symbolicis sparsim plurimis
locis propositam & a doctoribus aliis sinceris diligenter
explicatam succincte paucis breuibusque sententiis de-
lineabimus, ut, cuiusmodi ea sit, vno quasi obtutu spe-
ctari possit. Hoc enim caput rei est, ut *formae* istius
beneficii diuini, de quo loquimur, rectam & sanam
notionem nobis informemus, & de hac praecipue no-
bis lis est cum iis, qui a sententia ecclesiae nostrae in
hac doctrina alieni sunt. *Deinde*, quoniam hoc tem-
pore a cohorte Fanaticorum non tantum periculum
eripiendae nobis veritatis imminet, quantum a castris
Pelagianorum, contra hos in primis ut veritatem defen-
damus, demonstratum ibimus nostrae ecclesiae de in-
habitatione DEI in regenitis sententiam, quatenus a
Pelagianorum opinione dissentit, oraculis diuinis
apprime consentaneam esse, atque id efficere studebi-
mus, ut ne nobis exprobrari aliquo iure possit, nos
fidem hominum & symbolorum auctoritatem magis
quam DEI ipsius sequi, atque auitis traditionibus illi-
berali & seruili animo adhaerescere.



Primum igitur, quantum fieri potest, dilucide & tamen succincte sententiam ecclesiae nostrae de forma & indole inhabitacionis DEI in Christi aseclis explicabimus: quod eo magis necessarium est, quoniam plures obiectiones contra doctrinam nostram inde proficiuntur, quod haec non recte intelligitur, aut etiam astute ad alienum sensum detorquetur. Ut in explicatione nostra breuitati aequa ac perspicuitati seruiamus, summam rei his breuibus & distinctis sententiis completemur.

1) DEVS non modo in prima conuersione seu regeneratione, sed etiam in continuata emendatione seu renouatione hominum *operationibus gratiae suae efficit* in illorum mentibus omnes istas internas mutationes, quae ad salutem ipsorum aeternam requiruntur.

2) ad producendas has mutationes salutares tam in conuersione quam in renouatione vtitur omnino DEVS *primum verbo suo*, quod etiam in litteras referri curauit, huiusque *vi illa*, quae *logico-moralis* appellari solet; quare etiam a nobis requiritur, vt verbo diuino ita vtamur, vt eius vis logico-moralis se exserere in nobis possit; neque ordinatim sine hoc verbo suo DEVS in hominibus, qui ratione vti possunt, operatur istos effectus salutares, quomodo *Enthusiastae* imaginantur. Praeterea etiam ad eosdem effectus promouendos adhibet DEVS *gubernationem suam naturalem*, qua omnium creaturarum, & in his etiam rationalium, actiones mutationesque singulas ad finem sibi propositum sapientissime dirigit. Quatenus DEVS hac

vtra-

vtraque ratione agit in procuranda hominum salute, eatenus *mediate* agere dicendus est. Atque hanc vtramque *mediate* agendi rationem, qua DEVS vtitur in mentibus hominum ad salutem formandis, (nam de reliquis mediis, quae *sacramenta* vocantur, iam dicere a consilio nostro alienum est) nunquam negauit ecclesia nostra, sed serio affirmat.

3) Sed, quoniam propter impotentiam hominum naturalem ad bonas actiones eiusmodi, quae *spirituales* vocantur, neque vis logico-moralis verbi diuini, neque gubernatio DEI naturalis, aut per se solae, aut coniunctae, iam sufficient ad efficiendas istas mutationes in mentibus hominum ad horum salutem aeternam requisitas; idcirco DEVS, vt praefet hos effectus salutares, addit operationes supernaturales, quae eiusmodi sunt, vt non nisi ab ipso praesente, seu praesentia sua & *adiasoria* vtente in hominibus peragantur. Quatenus DEVS sic praesens operatur in mentibus hominum, eatenus *immediate* agere dicendus est. Jam, si hoc conferas cum eo, quod supra n. 2. docuimus, facile intelliges, quomodo sine repugnantia DEVS dici pos sit *tum mediate, tum immediate* agere in operationibus gratiae suae ad emendationem hominum spectantibus. Immediate igitur & praesens concurrit DEVS cum verbo suo huiusque vi logico-morali, & ad hanc addit & adiungit vim supernaturalem. Quoniam vero DEVS ex libera ordinatione hunc suum concursum indiuulso nexu copulauit cum verbo suo huiusque vi logico-morali; inde factum est, vt ille concursus diuinus

nus tanquam *vis ipsius verbi diuini spectari commode posset*, quam theologi nostrates *supernaturalem & physicae - analogam vocarunt*, vt a logico-morali distinguatur.

4) Hoc igitur concursu, quo verbo suo vim addit supernaturalem, *praesens adest DEVS homini conuertendo*, quum praesentia sua vtatur ad perficiendas istas mutationes, quibus regeneratio continetur. Sed tamen nondum dicitur DEVS *in esse & habitare* in homine, quamdiu hic fidem & ex hoc proficiscentem amorem in DEVM & Christum accendi in se non passus est, & per repugnantiam suam saepe interruptus operaciones DEI salutares.

5) Sed, quando regenitus est homo, pergit DEVS supernaturali praesentiae suae concursu vti ad continuandas in illo mutationes mentis salutares easque agitationes, quae eo pertinent, vt regenitus *tum felicitate sua in Christo suauiter fruatur, tum magis magisque emendetur & sanctificetur*. Et quoniam in mentibus regenitorum, quae semper aliquid agunt ac moliuntur, perpetuo istiusmodi concursu diuino opus est ad conservandam, defendendam, alendam, corroborandam vitam spiritualem; regeniti autem istum DEI concursum amant & lubentes admittunt; & DEVS ad eundem praestandum pro amore suo paterno tenerrimique, quo omnes, qui Christum fide amplexi sunt, prosequitur, semper promptus paratusque est: ideo DEVS iam recte & commode dicitur *in regenitis esse & habitare*, quippe qui iam constanter & familiariter illis praefensis est operationibus gratiae actuosus & efficax. 6)

6) Sic in regenitis Christum fide & amore amplectentibus habitat DEVS Pater, Filius, & peculiariter etiam Spiritus Sanctus.

7) Sunt nonnulli inter theologos nostrates praesertim recentioris aetatis, qui satis mancam & imperfectam inhabitacionis DEI, de qua loquimur, notionem sibi informent aliosque doceant. Atque hoc dupliciter. Aut enim contenti sunt dicere, operationibus gratiae, quas DEVS in regenitis continuet, huius inhabitacionem contineri, neque hanc adiunctionem addunt, istas operationes esse supernaturales, ad quas peragendas DEVS praesentia sua vtatur; aut verbis quidem praesentiam DEI operationibus supernaturalibus efficacem in illa inhabitacione diuina concedere videntur; sed, si ad notiones attendas, quas verbis suis subiificant, partim praesentiam ita late definiunt, vt ad eam nil nisi actionem substantiae in aliam referant; quum tamen ea demum substantia alteri praesens vere dici poscit, quae in hanc immediate agat aut agere possit; qua in re *adiasatia* cernitur; partim supernaturalium operationum nomine non eas notant, quae hodieque a DEO praesente in mentibus hominum supernaturaliter peraguntur, sed eos tantummodo effectus intelligunt, qui ex vi Scripturae sacrae logico-morali profiscuntur, quos ideo saltem supernaturales vocant, quod Spiritus S. olim supernaturali actione, seu inspiratione, auctor Scripturae sacrae adeoque etiam efficaciae illius logico-moralis extiterit. Sed hac vtraque ratione isti theologi sententiam nostrae ecclesiae minime tenent aut sequuntur. Haec enim inhabitacionem diuinam in eo ponit, quod DEVS praesentia sua tali, quae veri nominis sit, scilicet *adiasatia*, in mentibus regenitorum ita vtatur, vt in iis immediate & supernaturaliter operationes gratiae continuo peragat, atque his omnes istas mentis agitationes salutiferas perficiat, quibus praestandis propriae vires regenitorum & vis S. Scripturae logico-moralis ipsis admota nondum sufficient.

8) Haec



8) Haec praesentia DEI in mentibus regenitorum differt a generali ipsius praesentia, qua omnibus rebus creatis adest. Illa enim ferax est fructuum salutarium eiusmodi, quales in plurimis aliis huius vniuersi substantiis non profert generalis DEI praesentia. Est igitur inhabitatio DEI in regenitis *peculiaris* quaedam & *intima praesentia* supernaturalibus gratiae operationibus conspicua. Et si vox illa, *approximatio* substantiae diuinæ ad substantiam regeniti, qua quidam theologorum nostratum usi sunt, nihil aliud significet, nisi eum quasi gradum maiorem praesentiae diuinæ, qui pluribus, maioribus, idque supernaturalibus & salutiferis effectibus cernatur; omnino veram sententiam enunciat: sed si istud vocabulum, *approximatio*, maiorem gradum praesentiae ratione ipsius *aditasas* & *immediationis* habita denotare debeat, ego quidem, qui haec scribo, ingenuo fateor, illud quale sit me non intelligere.

9) Theologi nostri, qui statuunt quidem peculiariter quadam & intima praesentia DEI inhabitacionem eius contineri, tamen non sunt ita stupidi, ut hanc localem & spatio circumscriptam esse putent, sed concedunt eam, sicuti omnem DEI praesentiam, esse *illocalem*.


10) Operationes gratiae DEI inhabitantis sunt quidem supernaturales, sed, quoniam ordinarie ad usum quendam mediorum salutis sunt adstrictae, unde fit, ut ordine quodam hominibus obseruabili procedant; non sunt continuo *miraculose* dicendae. *Miracula* enim, saltem significatione circumscripta & accurata, sunt effectus *supernaturales* eiusmodi, qui simul sint *extraordinarii*. In primaeua Christianorum ecclesia non solis Apostolis, sed etiam multis aliis Christianis non exceptis iis, qui ex laicorum ordine fuerant, inhabitatio DEI & Spiritus S. *miraculosa* contigit, quae in multis simul coniuncta fuerat cum inhabitacione *gratiosa*, ut vocatur, *ordinaria*, & *salutari*.

11) Haec DEI inhabitatio, qua regeniti fruuntur, his non adimit libertatem rationalem; quum haec adeo in conuersione

sione & regeneratione homini maneat illaesa. Operationes igitur gratiae DEI inhabitantis non sunt irresistibiles, aut raptus quidam violenti; neque eo tendunt, vt homo libertatem amittat, sed potius vt per conuersionem in veram libertatem semel vindicatus in dies liberior euadat. Immo, quum homo regenitus, in quo DEVS habitat, iam instructus sit a Spiritu S. viribus nouis & supernaturalibus ad credendum Euangeliō sancte que agendum, ac DEVS velit, vt regenitus his viribus ipsi donatis vtatur; hic iam cooperatur cum DEO inhabitante & salutariter operante.

12) Inhabitatio DEI ordinaria non secum fert Θεοπνευστιανη inspirationem eiusmodi, qua DEVS aut nouas doctrinas, aut peculiares in casibus obuiis agendi rationes homini patefaciat, quas hic neque ex S. Scripturae neque ex sanae rationis lumine cognoscere poscit, sed nouo alicui testimonio diuino credere debeat. Nisi hoc, quod pro nouo DEI testimonio seu reuelatione habetur aut venditatur, nouo etiam miraculo confirmetur, credendum non est.

13) Ad vniōnem, quae mystica dicitur, pertinet quidem societas DEI hominisque regeniti amica, amor mutuus, consensus utriusque ad eundem finem propositum; sed hac re nondum absolvitur ista vnio, quippe quae etiam inhabitationem DEI, id est, peculiarem praesentiam DEI operationibus gratiae supernaturalibus cum perpetuitate quadam efficacem in se continet; imo vero haec est illius vnionis pars quaedam praecipua. Quare etiam illa vnio non tantum moralis est, sicut quaevis societas, sed etiam eiusmodi, quae efficientiam DEI in regenitis secum habeat, neque tantummodo talem efficientiam, quae operationibus per solam vim Scripturae S. logico-moralem, aut etiam per gubernationem diuinam naturalem effectis se exserat, sed eam, quae supernaturalibus DEI praesentis effectibus cernatur. Quod vt theologi nostrates breviter significant, dicere
b 2
solent,



solent, unionem mysticam non tantum moralem esse, sed etiam physicae-analogam.

14) Haec inhabitatio DEI in regenitis & cum hac coniuncta vno mystica habet quidem similitudinem quandam cum habitatione diuinitatis in natura Christi humana, & vnone, qua haec cum illa coniuncta est, personali. Sed tamen mystica illa vno neutquam tam arcta est, tamque beatitatis, gloriae maiestatisque diuinæ plena, quam personalis, qua diuinitas humanitasque in Christo quasi coaluit; multo minus absolvitur aut *permixtione* quadam humanitatis regeniti cum diuinitate, aut *conuersione* illius in hanc seu $\alpha\pi\circ\vartheta\epsilon\omega\tau\epsilon\iota$, quam fanatici quidam fingere visi sunt.

Sed ad declarandam sententiam ecclesiae nostrae de *forma* & indole *inhabitationis diuinæ* in regenitis satis dixisse nobis videmur. Progredimur ad *alterum*, quod nobis in hac commutatione, vti supra diximus, propositum est, nempe, vt *probemus*, doctrinae huius euangelicae partem eam, qua a Pelagianis nostra ecclesia discedit, oraculis diuinis profus esse contentaneam, atque his omnino doceri, inhabitacionem DEI in regenitis esse peculiarem quandam & constantem praesentiam DEI in illis, qua immediate concurrendo cum verbo suo huiusque vi logico-morali mutationes ad salutem aeternam pertinentes in conuersione coep tas in iisdem porro efficiat & promoueat. In hac theses demonstranda accurata finitione adiecimus quidem diserte, DEVm inhabitacione sua *concurrere cum verbo suo*, adeoque efficaciam huius praesentiae diuinæ esse adstrictam ad usum verbi sui; idque fecimus, vt eo prouidentius statim ab initio omni accusationi alicuius Fanaticismi obuiam procedamus. Sed haec pars sententiae nostrae non est ea, quam nunc probandam sumimus. Nam, vti supra monuimus, non iam agimus contra Fanaticos, sed aduersus Pelagianos. Itaque ista pars sententiae nostrae separatim iam demonstranda est, *inhabitationem DEI in regenitis esse peculiarem quandam in illis*


præ-

*praesentiam immediatis, id est, proximis, & supernaturalibus
gratiae operationibus efficacem.*

Hic ita causam nostram acturi sumus, ut *primum* plurimas sententias e scripturis s. colligamus, quae, si verba & phrases, quibus enunciantur, *proprietatem* suam retineant, talem *praesentiam DEI* in regenitis, quam diximus, diserte docent; *deinde* pluribus argumentis efficiamus, istas sententias sensu proprio omnino esse accipiendas. Operam dabimus, ut, quoniam limites huius commentationis necessarii ita nos coercent, hanc probationem nostram quam fieri potest breuissime expediamus.

1. *Primum* igitur, quod ad istas sententias s. litterarum attinet, antequam eas afferamus, *praemittenda* est haec admonitio, quam postulat ingenuus veritatis amor, hac in causa *duplicem cautionem* adhibendam esse; *primum*, ne eas sententias scripturae s. tanquam testes doctrinae nostrae excitemus, in quibus tantummodo sermo est de extraordinaria illa DEI & Spiritus S. inhabitacione in Apostolis & aliis membris ecclesiae Christi primaeuae miraculosa dona secum ferente, sed ut eas feligamus, quibus inhabitatio DEI tanquam priuilegium omnibus regenitis commune praedicatur; *deinde*, ne ex iis oraculis diuinis in quibus motus & habitus animorum regenitorum salutares ad DEVm tanquam auctorem referuntur, seorsim sumtis statim & praecipitanter concludamus, DEVm istas mutationes supernaturaliter & per usum *praesentiae* suae efficere. Haec duplex cautio, ut verum fateamur, a theologis haud paucis nonnunquam neglecta est.

Circumspekte igitur 1) eas sententias e s. litteris excerptemus, quibus, si sensu proprio enunciatae sint, *peculiaris* quedam *praesentia DEI* in omnibus regenitis affueratur; 2) eas, quibus *efficacitas* DEI & *operationes salutares* in regenitis affirmantur; & ex his utriusque generis sententiis inter se collatis efficiemus, oraculis istis, si proprietas verborum non deserrenda



renda sit, affuerari nobis praesentiam DEI in omnibus regen-
tis operationibus gratiae supernaturalibus efficacem.


(1) *Prioris generis sententiae diuersis phrasibus rem ean-
dem enunciant, secundum quarum varietatem illas in plures
classes distribuemus; quod tum intelligentiam rei adiuuat, tum
cause nostrae praefidium quoddam afferet, quod paulo infra
patebit.* Docent igitur oracula diuina (1) Joh. 14, 23. *Chri-
stum cum Patre suo, nec non, quod v. 17. indicat, cum Spiritu S., ad quemuis, qui ipsum amet, venire, & mansionem
apud eum facere.* Hic sensus huic dicto ab vniuersa ecclesia ab
yltima antiquitate vsque ad nostram memoriam tributus est, &
cuique legenti statim in mentem venire solet. Nuperime au-
tem aliis sensus Viro cuidam *Celeberrimo* placere coepit, qui
hic sit; *nos*, id est, ego Christus, & is, qui me amat, *ad ip-
sum*, id est, Patrem, olim *venturi sumus*, & *apud hunc*, Pa-
trem, aeternum habitaturi; quam interpretationem refellere
jam non vacat. Interim rogamus lectorem, vt versus 20 - 22.
cum hoc 23. conferat, cohaerentiam spectet, & deinde ipse iu-
dicet. (2) *DEVM velle habitare & quasi ambulare* in fidelibus,
& hos esse *templum DEI* 2 Cor. 6, 16. cf. v. 14. 15. *habitaculum
DEI* in Spiritu Epb. 2, 22. cf. 1 Petr. 4, 17. Hebr. 3, 6. *Chri-
stum habitare* in animis hominum per fidem Eph. 3, 17. *fideles
esse templum Spiritus S.* 1 Cor. 6, 19. & hunc *habitare* in ipsis.
1 Cor. 3, 16. Rom. 8, 9. 11. (3) *DEVM manere in eo*, qui pro-
fiteatur (ex animi sententia) Jesum esse Filium DEI, & *in eo*,
qui maneat in amore 1 Joh. 4, 15. 16. *Christum esse & manere
in fidelibus* Joh. 15, 4. 5. 6, 56. 17, 23. cf. v. 20. Rom. 8, 10.
2 Cor. 13, 5. 1 Joh. 3, 24. 4, 13. Col. 1, 27. & *viuere in illis*.
Gal. 2. 20. (4) *DEVM mittere Spiritum S. in corda eorum*, qui
regenerati & ius filiorum DEI adepti fuerint Gal. 4, 6. (5) *Spi-
ritum S. requiescere super illis*, qui regeniti & cum Christo con-
iuncti fuerint, 1 Petr. 4, 14. cf. v. 13. c. 1, 2. 23. (6) *DEVM
dare Spiritum S. cuiuis*, qui hunc precibus a Deo petat Luc. 11.

13.

13. & illis, qui mandata eius, id est, fidem & amorem, seruent.
I Joh. 3, 24. (7) DEVM effundere Spiritum S. super eos, qui regenerari se patientur, Tit. 3, 5. 6. (8) qui cum Christo per fidem coniuncti sunt, eos habere Spiritum S. I Cor. 6, 19. &, qui Spiritum Christi non habeat, eum nec esse Christi Rom. 8, 9. quae phrasis ibidem & v. 11. permutatur cum illa alia, *Spiritus DEI habitat in illis, qui cum Christo iuncti sunt.*

Quodsi omnes hae loquendi formulae recte reputantur, id sane pro certo habendum est, illas, si sensu proprio accipi debeant, docere peculiarem quandam praeſentiam DEI in regenerationis, quae non sit in irregenesis; vnde illico concludi liceat, quoniam praeſentia alicuius nulla alia in re cernatur, nisi in actionibus & effectibus immediatis; DEVM igitur regenerationis peculiarter praeſentem operari in his aliquid immediate adeoque supernaturaliter, quod non efficiat praeſentia sua in aliis.

2) Jam audiamus oracula illa alterius generis, quae operationes DEI peculiares in regenerationis docent & describunt, & quorum variae classes utiliter obſeruantur. Quae ex ipsis discimus, haec fere sunt. (1) generatim, fideles sunt Θεος γένεροι - οἰκοδομη. I Cor. 3, 9. Christus illis ἐμφανίζει εἰστὸν, nempe effectibus salutiferis. Joh. 14, 21. 22. Christus est vitis, & fideles sunt palmites ipsi insiti Joh. 15, 1. 2. 5. 6. qui omnem vim fructus proferendi ex ipso trahunt. (2) DEVS prosequitur in illis bonum opus, quod in regeneratione coepit, Phil. 1, 6. conservat, confirmat, auget, fundat fideles in salutari mentis habitu Rom. 16, 25. I Thess. 3, 13. 2 Thess. 2, 17. I Petr. 5, 10. I Cor. 1, 8. 2 Cor. 1, 21. Jud. v. 24. per Spiritum S. Eph. 3, 16. (3) DEVS docet fideles Ps. 119, 26. 27. 143, 10. aperit oculos mentis ad perspicendum mirabilia doctrinae diuinæ Ps. 119, 18. dat Spiritum sapientiae & revelationis &c. Eph. 1, 17. 18. implet eos cognitione voluntatis suae in omni sapientia & intelligentia spirituali. Col. 1, 9. cf. Phil. 1, 9. 10. (4) DEVS auget fidem 2 Thess. 2, 11. cf. v. 3. (5) DEVS est εὐαγγελιστ in iis, qui



qui saluti operam dant, tam velle, quam efficere. Phil. 2, 13. inclinat animum ad testimonia diuina. Ps. 119, 36. (6) *Spiritus S. agit regenitos Rom. 8, 14. dicit in via recta Ps. 143, 10. 119, 35.* quare illi, vti viuunt in Spiritu, ita etiam ambulans in Spiritu & secundum eundem. Gal. 5, 25. 16. Rom. 8, 1. 5. (7) DEVS sanctificat fideles ὁλοτελείς 1 Thess. 5, 23. quod peculiariter etiam Spiritui S. tribuitur 2 Thess. 2, 13. & alibi. (8) fideles purificant animos suos obedientia veritatis per Spiritum S. 1 Petr. 1, 22. mortificant per Spiritum opera carnis. (9) DEVS καταρτίζει fideles in omni opere bono, faciens in ipsis, quod sibi placeat per J. C. (10) Dominus κατευθύνει corda ad amorem DEI & patientiam Christi 2 Thess. 3, 5. auget amorem fidelium mutuum & erga omnes 1 Thess. 3, 12. *Spiritus S. est πνεῦμα ἀγάπης.* Tim. 1, 7. (11) fideles pleni redduntur fructuum iustitiae, qui proferuntur per Jesum Christum Phil. 1, 11. omnis generis virtutes sunt fructus Spiritus Gal. 5, 22. Eph. 5, 9. (12) DEVS spei implet fideles omni gaudio & pace in credendo, vt abundant in spe per potentiam Spiritus S. Rom. 15, 13. fruuntur gaudio per Spiritum S. Rom. 14, 17. *Spiritus S. clamat in illis Abba, pater Gal. 4, 6. Rom. 8, 15. cf. Eph. 2, 18.* testimonium dat illorum spiritui, ipsos esse liberos DEI Rom. 8, 16. auxiliatur infirmitatibus eorum, & quum nesciant quid oratur sint, vti oporteat; intercedit pro illis gemitibus ineffabilibus Rom. 8, 26.

Jam, si haec testimonia DEI de operationibus suis in regenitis conferantur cum illis prioris generis inhabitacionem illius docentibus: redditissime sic concluditur; si DEVS peculiari aliqua ratione praesens est in regenitis, & peculiares operations in iis praestat, sequitur necessario, DEVM has operations immediate, id est, vsu praesentiae suaे peragere aut ex toto aut ex parte. Nunc negandum non est, tum fideles in omnibus istis mentium suarum mutationibus esse actuosos viribus a Deo sibi iam collatis, tum DEVM concurrere cum illorum actionibus etiam mediate, partim per vim scripturae s. logico-moralem,

par-


partim gubernationem mundi naturalem. Ergo relinquitur DEVM ad plene perficiendos istos effectus salutares in animis regenitorum praeter id, quod ipsis vites nouas in regeneratione donauit, & praeter concursum illum mediatum, quem modo diximus, addere aliquid *immediate & supernaturaliter operando & praesentia sua vtendo.* Hoc verissimum est, & necessario concedendum, si sententiae istae biblicae, quae praesentiam DEI peculiarem in regenitis innuere videntur, revera eam significant & *sensu proprio* intelligendae sint.

2. Ergo nihil restat, nisi ut sententiis istis, quae de inhabitatione diuina variis phrasibus loquuntur, *sensum proprium vindicemus;* & hoc est *alterum*, quod ad demonstrationem nostram pertinere supra diximus. Velimus, ut nunc liceat copiosiore tractatione probationi nostrae omnem eam evidentiam afferre, quae cuius lectori satisfacere possit. Sed, quum summam breuitatem necesitas urgeat, studebimus tamen, ut iis saltem satisfaciamus, qui cogitandi laborem non fugiant. *Ante omnia monendum* est, has duas enunciationes, DEVS vere & proprie praesens est peculiari modo in regenitis, & DEVS supernaturaliter adeoque immediate operatur effectus quosdam peculiares in regenitis, ita esse inter se implicatos, ut si una ex his in s. scriptura affirmari probetur, altera simul demonstrata sit. Nunc *argumenta ipsa* considerate, quae nobis quidem dubitationem omnem exemerunt. 1) Ex lege hermeneutica generali, quam sana ratio sanxit, in omnibus istis effatis diuinis, quae regenitis inhabitationem DEI tanquam praerogatiuam tribuunt, *sensus proprius* tam diu est retinendus, donec causa satis iusta agnoscatur eum deserendi. Sed eiusmodi causa hic afferri non potest; imo vero plures rationes sat graues sensum proprium efflagitant; quod statim ex sequentibus argumentis patebit. 2) Omnes istae dicendi formulae de inhabitatione diuina, quas supra congesimus, contra omnem usum loquendi de vi scripturarum logico-morali, aut etiam de gubernatione DEI naturali expli-

explicarentur. Nam quis sanus ita loqueretur, parentem aliquem, qui filio suo aliquid suaserit, praeceperit, aut eius actiones gubernet, *in filio esse, in eoque habitaculum fixisse*, &c.

3) Omnes istae phrases eadem sunt, quae in litteris etiam de inhabitatione DEI *miraculorum effectrice*, quae *Prophetis & Apostolis contigit*, usurpantur; vbi praesentiam DEI immediate & supernaturaleriter operantem sensu proprio significari nullum dubium est. E.g. *Spiritum DEI fuisse in Prophetis* 1 Petr. 1, 10. Dan. 4, 5. 6. *super Messia*, Jes. 61, 1. *quievisse super eo* Jes. 11, 2. *Spiritum S. venisse ēπι* Iesum Matth. 3, 16. & *Apostolos Act. 1, 8.* & *alios donis miraculosis instructos* Act. 19, 6. *Apostolos impletos esse Spiritu S.* Act. 2, 4. *DEVM dedisse* Jesu Spiritum S. Joh. 3, 34. *DEVM misisse* Spiritum S. προσ, ēπι *Apostolos Joh. 16, 7.* Luc. 24, 49. *effudisse* Spiritum S. *super eos* Act. 2, 33. cf. Joel 3, 1. *Paulum habuisse* Spiritum S. 1 Cor. 7, 40. &c. *Quum* igitur plane iisdem phrasibus inhabitatio DEI & *Spiritus S. sum ea*, quae *Apostolis & Prophetis dona miraculosa secum tulerit, tum ea communis*, quae haec dona non confert, sed alia, describatur: forma utriusque eadem sit necesse est; effectibus modo differt, quemadmodum etiam illa miraculis conspicua tam non omnibus omnia dona attulit 1 Cor. 12. 4) *Vno diuinitatis humanitatisque in Christo*, quae sane praesentiam illius in hac intimam continet, similis iudicatur vniō mysticae, & eadem phrasi *DEVS in Christo*, & *Christus in fidelibus esse* dicitur Joh. 17, 23. cf. v. 20. 5) *DEI operationes in fidelibus expectuntur* precibus cum adiectis rationibus fiduciam exauditionis diuinae confirmantibus; quod sane ad solam vim S. Scripturae logico-moralem non quadrat Phil. 1, 9-11. 1 Thess. 3, 12. 13. 5, 23. 24. 2 Thess. 1, 11. 2, 16. 17. Col. 1, 9-11. 4, 12. Hebr. 13, 21. 6) *Quod confirmatur sententia illa* 1 Cor. 5 - 9. *qua Paulus ab efficacia verbi diuini logico-morali*, quod ipse & Apollo proposuerant, eaque re plantauerant & irrigarant, distinguitur illud αὐξάνειν, quod soli DEO vindicatur. 7) *Notatu etiam digna*

digna sunt ista dicta, in quibus Apostolus post exhortationes fidelibus propositas addit αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς παρακαλέσαι - - τῷξαὶ &c.
 2 Thess. 2, 16. 17. item, ipse autem DEVS sanctificet vos &c.
 1 Thess. 5, 23. quod vocabulum, ipse, indicat profecto peculiarem quandam efficacitatem DEI, quae naturaliter non insit doctrinae s. 8) Joh. 15, 5. ex eo, quod fideles *sine Christo nihil boni possint facere* (nam de bonis operibus generatim, non de miraculis solis, sermo est, vti patet ex v. 6.) deducitur illud, eos in Christo & Christum in illis, ipsosque quasi palmites Christo tanquam viti insitos esse debere. Sed, si Christus nullo alio modo in fidelibus efficax esset, nisi per vim verbi sui logico-moralem, & per gubernationem mundi naturalem, reliquisset fideles viribus ipsorum naturalibus. 9) Fidelibus in solatium proponitur, quod is Spiritus, qui in ipsis sit, *maior* sit, quam is, qui in mundo sit, id est, diabolus. 1) Joh. 4, 4. cf. Eph. 6, 10-12. Sed quale solatium hoc esset, si Spiritus S. nulla alia re fideles adiuuaret, nisi efficacia verbi diuini logico-morali, & gubernatione mundi naturali, adeoque fideles suis ipsorum viribus naturalibus reliquisset. 10) Jam accedunt ea dicta, in quibus *potentia* DEI fidelibus in solatium proponitur ad spem conseruationis & maiorum profectuum in salutari mentis habitu confirmandam 1 Petr. 1, 5. cf. Joh. 10, 28. Jud. v. 24. Rom. 16, 25. Eph. 6, 10. Col. 1, 11. & quidem, quod *maxime notandum*, ea *potentia* DEI, quae dicitur *super omnia facere posse abundantissime, super ea,* quae *petimus* aut *intelligimus*; atque *haec potentia* dicitur εὐεργεία in fidelibus Eph. 3, 20. 11) His omnibus argumentis in vnum conspirantibus, quae tam graues sunt, vt omnem litem de hac causa plane dirimant, adiungenda est illa ratio, quae inde petitur, quod *regeneratio* e multis variisque locis S.S. opus DEI *supernaturale esse* appareat; DEVS autem hoc opus in regeneratione coepit per inhabitacionem in fidelibus continuet Phil. 1, 6. quae continuatio propter reliquias vitiositatis *naturalis* in regenitibus ab his *naturaliter*, adeoque solo concursu




DEI naturali & mediato adiutis fieri non posse; eamque ob
rem ope concursus DEI supernaturalis peragi debeat. Atque
hic posit aliquis mirari, cur non hac vna demonstrandi ratione
fuisse contenti. Sed consulto probationem nostram ita in-
stituimus, vt non penderet a demonstratione efficacitatis DEI
supernaturalis in regeneratione; nempe, vt ex demonstrato
concurso DEI supernaturali in ipsius inhabitacione via pateat re-
trogrediendi ad probandam supernaturem rationem regenera-
tionis; vbi ita ratiocinari licet, si adeo ad continuationem emen-
dationis salutaris hominum concursus DEI supernaturalis requi-
ritur, multo magis prima conuersio & regeneratione supernatura-
liter a DEO efficiatur necesse est. Atque ita simul conspiratio
quaedam ratiocinationum & diuersis initis exeuntium existit ad
comprobandum efficacitatem DEI supernaturem *tum* in rege-
neratione, *tum* in renouatione continuata & inhabitacione. 12)
Sed ad confirmandam probationem nostram obiectio illa procli-
uis, doctrinam nostram multiplicare nimis miracula, eaque re
sapientiae diuinae refragari, tribus verbis diluenda est. Ac pri-
mum efficacitas DEI tam in regeneratione quam in inhabitatio-
ne non continetur *miraculis*, quatenus haec sunt effectus DEI
extraordinarii; nam illa, vti supra diximus, est adstricta *ordini*
cuidam & modo agendi cum *libertate* hominum coniuncto. Er-
go illud hic locum non habet, quod miraculorum multiplicati-
onem maxime obstat, nempe, quod ea liberam & secundum regu-
las quasdam firmas agendi rationem mentibus creatis auferat
aut perturbet. Deinde, quatenus miracula sunt effectus DEI
supernaturales, illa sapientiae diuinae *tum* non repugnant, si
quid ad consilium DEI pertinens illis efficitur, quod per natu-
rales rerum creatarum vires, aut prorsus non posse fieri, aut
certe non tam bene, quam si supernaturaliter id efficiatur. Nisi
ergo probetur, immutationem hominum, quae ad beatitatem
aeternam requiruntur, naturaliter non minus effici posse, quam
supernaturaliter, obiectione ista contra doctrinam nostram ni-
hil proficitur.

Haec

Haec omnia si attente repleque cogitentur, fatendum erit, oracula illa diuina, quae de inhabitatione DEI in regenitis certiores nos faciant, *sensu proprio* omnino ita esse intelligenda, ut peculiarem quandam praeuentiam DEI in regenitis operationibus gratiae supernaturalibus efficacem nobis testatam faciant.

Sed iam dicat aliquis, quid nostra interest certo scire im mutationem nostram, quae ad beatitudinem aeternam spectet, effici a DEO supernaturaliter: quum tamen eam a DEO acceptam referre debeamus, si vel maxime illa naturaliter ab eo nobis procuretur? Hoc largiendum forsan sit, si nulla alia ratio spectari debeat. At sunt aliae plures, quae nos commouent, ut veritatem a nobis hucusque demonstratam firmiter teneamus, neque eam oppugnari aequo animo feramus. Nam 1) vel hanc ob causam, quoniam a DEO nobis huius rei veritas patefacta est, non tam leuiter incuriosi de ea esse debemus. 2) Si huius doctrinae veritas impugnatur; id aliter fieri non potest, nisi ut scriptura s. misere torqueatur, & modus interpretandi introducatur ineptus & qui aliis etiam doctrinis salutaribus periculosus fiat. 3) Quoniam haec doctrina, quam defendimus, cum illa alia de *advantages* & vitiositatis naturalis, qua laboremus, magnitudine arctissime cohaeret; haec igitur non recte agnosci tur, si illa negatur; quod periculorum est. 4) Imo tota illa doctrina de iustitia fidei, quae summam religionis christiana & ordinis salutis continet, intimo nexus copulata est cum hac de operationibus gratiae, quae ob *advantages* nostram supernaturales esse debeant. 5) Doctrina huic nostrae aduersaria, quae igitur emendationem nostram salutiferam *naturaliter* fieri contendit, posset quidem etiam homines in securam leuitatem adducere, ut sibi dicerent, det DEVS vitam, det opes, animum probum aliquando nobis ipsi parabimus: sed multo magis ea ad hominem in desperationem coniiciendum valet. Nam, si homo ita persuasus, se non nisi naturaliter emendari, aliquando aut suspicetur, aut certo intelligat, se iam in eum statum deuenisse,



uenisse, in quo naturaliter emendari non amplius possit; is, quoniam efficacitatem gratiae diuinae *supernaturalem* eandemque *ordinariam* non agnoscit, nullum aliud auxilium tunc videt, nisi *miraculum*, cuius spem certam aut verisimilem concipere non potest. Tanti est, veritatem doctrinae de efficacitate gratiae supernaturali, quae tamen ordinaria sit, e s. litteris perspectam exploratamque habere.

Itaque, Ciues Carissimi, quum hoc festo, cuius sollemnia Vobis indicimus, in tota ecclesia christiana personent conaciones de Spiritu S., de eius efficacitate donisque supernaturalibus, & de inhabitatione DEI in iis, qui Christo fide adhaerant: obsecramus Vos atque obtestamur, vt hanc doctrinam tam salubrem tamque solatii plenam omni mentis intentione contemplemini; de eius veritate firmam certitudinem sollicite quaeratis; vt ne hoc infesto ecclesiae tempore, quo cum aliis opinionibus periculosis etiam Pelagianorum dogmata disseminantur & non paucis persuadentur, de statu quasi & gradu spei dulcissimae, quam haec nostra doctrina e s. litteris repetita & confirmata alit, tam facile deiiciamini. Sed nolite, quae sumus, contenti esse theoria huius doctrinae vera, certa, aut etiam eruditia; in id potius omni studio incumbite, vt efficacitate illa DEI & Spiritus S. supernaturali cunctisque eius fructibus saluberrimis fruamini. Exorate a DEO Spiritum S. Christi promissionem, quae fallere non potest, innixi; admittite Spiritus illius diuini efficientiam, vt Vos ad poenitentiam & fiduciam in Christi meritum adductos regeneret, & deinde in Vobis tanquam templo suo habitet, Vos doceat, agat, regat, omnibusque virtutibus frugiferos reddat. Tum etiam experiemini, quam ineffabilia solatia & gaudia illud afferat, si hunc Spiritum diuinum in animis Vestris Abba, Pater, clamantem, suspiriis, quibus verba dunt, pro Vobis intercedentem, Vos obsignantem in diem ~~απολυτωσεως~~, & tanquam ~~αρρεβωνα~~ hereditatis illius coelestis,

ftis, cuius praestantiam nulla nostra cogitatione assequi possumus, vti in reliqua vita, ita in primis in morte, suauissimo sensu percipiatis.

P. P.

BUETZOUII, SUB SIGILLO ACAD.
IPSO FESTO PENTECOSTES
CICCIOLLA CCLXXV.



48
Herr, die du geschenkt mir alle Segnungen der Erde. O Herr,
du bist der Gott der Wahrheit, der Wahrheit ist Macht, Wahrheit ist
der Sieg, der Friede ist Friede, der Friede ist Friede.

B. T.

INVENTORVM, ETIEZ SCIENTIA ACAD
1120 LESTO LENTIGOSSES
CLODUSCPZNA



33

LBMV Schwerin
000 630 195




[https://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1833712528/phys_0027](https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1833712528/phys_0027)



Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

[https://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn1833712528/phys_0028](https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1833712528/phys_0028)

DFG



onem mundi naturalem. Ergo relinquitur, perficiendos istos effectus salutares in animis ter id, quod ipsis vires nouas in regeneratione concursum illum mediatum, quem more aliquid *immediate & supernaturaliter operia sua utendo*. Hoc verissimum est, & neandum, si sententiae istae biblicae, quae praeliarem in regenitis innuere videntur, revera *sensu proprio* intelligendae sint. ill restat, nisi vt sententiis ipsis, quae de invariis phrasibus loquuntur, *sensum proprium* hoc est *alterum*, quod ad demonstrationem nostra diximus. Velimus, vt nunc liceat copi probationi nostrae omnem eam evidenteriam usi lectori satisfacere possit. Sed, quum sum necessitas virgeat, studebimus tamen, vt iis saltem, qui cogitandi laborem non fugiant. Ante est, has duas enunciationes, DEVS vere & est peculiari modo in regenitis, &, DEVS sive quoque immediate operatur effectus quosdam regenitis, ita esse inter se implicatos, vt si una ex affirmari probetur, altera simul demonstrata enta ipsa considerate, quae nobis quidem duum exemerunt. 1) Ex lege hermeneutica genetio sanxit, in omnibus ipsis effatis diuinis, quae rationem DEI tanquam praerogatiuam tribuunt, in diu est retinendus, donec causa satis iusta eserendi. Sed eiusmodi causa hic afferri non plures rationes sat graues sensum proprium statim ex sequentibus argumentis patebit. 2) Ibi formulae de inhabitatione diuina, quas super contra omnem usum loquendi de vi scripturali, aut etiam de gubernatione DEI naturali expli-

c

expli-

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No.